DIVINI TEMPLI EXCISIO

ORATIO

HABITA IN VATICANO SACELLO

AD

S. D. N. VRBANVM VIII.

IPSO PARASCEVES DIE

AB

HORATIO GRASSIO SAVONENSI

E SOCIETATE IESV.




ROMÆ, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. MDCXXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

SOLVITE TEMPLVM HOC
ET IN TRIBVS DIEBVS
EXCITABO ILLVD
ILLE AVTEM DICEBAT
DE TEMPLO
CORPORIS
SVI

Ioannis 2.





EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

LVDOVICO CARD. LVDOVISIO S.R.E. VICECANCELLARIO.

Horatius Grassius è Societate IESV F.



VM tua illa animi celsitudo, ac regia planè liberalitas, Princeps Eminentissime, Ignatij sanctissimi Parentis nostri meritis, & tuæ par pietati Templum moliretur; nescio qua mea felicitate, facilitate certè tua factum, vt eiusdem sacræ molis speciem, depictis etiam exemplaribus conformatam à me potissimum exposceres, cui ad eam diem studijs alijs vtcumque occupato, Architectura reliquarum tantummodo curarum appendix fuerat, vel potius defatigati subinde animi relaxatio. Mutandi mihi proinde illico mores fuere, atque omissis rebus ceteris, huic vni incumbendum adeo, vt iam fieret negotium, quod otium fuerat, & onus, quod oneris leuamentum; vt tandem & animi tui magnitudini, & operi egregio facerem aliqua ex parte satis. Verùm, dum studium omne ad hanc

*refero disciplinam, dum quæcumque, aut mecum ipse
agito, aut etiam oculis vsurpo, eodem spectant; his, vs-
que eò mens assueuit, nihil vt iam, nisi ædificiorum ha-
bitu & cultu intra se admittat. Dicturus eram de
Christi Seruatoris nostri nece in Vaticano sacello, mo-
lemque illam pœnarum lectissima in concione expositu-
rus: & quamuis mæstissima hæc diuinorum dolorum
series non vna facie, ac forma se mihi subinde propone-
ret intuendam; numquam tamen in animum recepta
Ioan. 2. est, nisi cum se, ea ipsa, quam illi Christus indiderat,
diruti Templi specie, opportunè obtulit. Nam, quoniam
ex oraculis sapientium, eadem contrariorum est discipli-
na; nondum propterea probabilem Architectum mihi
expressisse videbar, nisi, qui vnius modò templi stru-
cturam, non ineptè, multorum, ac tuo in primis, iudi-
cio descripseram, alterius quoque demolitionem ex eius-
dem artis legibus explicarem. Quod quando præstiti,
omnes prorsus pulcherrimæ facultatis partes explesse me
duxerim, si eodem apud te loco, atque æstimatione fue-
rit hæc Diuini Templi ruinæ imago nunc à me delinea-
ta, quo alterius structuræ nuper fuit exemplar; eritque
planè quòd gaudeas, talem me, non tàm ingenio meo,
quàm tuo munere extitisse. Vale.*

ORA-



ORATIO.

IMMANE excidium, & ruinam sæculis omnibus luctuoſam deflemus, Pater Beatiſſime. Domus illa, quam ſuis ſibi manibus ædificauerat Sapientia, illud ſancitæ Deum inter, atque homines pacis Templum æternum, ab impijs hodie prædonibus diripitur, excinditur, ſolo æquatur. Neque Architector omnipotens violentorum prohibet manus; quin etiam furentes admittit, vt Sacrarium illud Diuinitatis cœco impetu diruant, quod ipſe poſtmodum, triduo, pulchrius, ſolidiuſque reſtituat. Nos verò, quos miſerè olim proſtratos hęc labes erexit; nunc, quibus ea demolitio dolis adornata, quo furore incæpta, qua immanitate fuerit abſoluta, gemebundi videamus. Iam ergo immaniſſimi parricidæ in Dei necem dudum intenti execrando facinori imminebant, nullumque non mouebant lapidem, vt huius Sanctuarij lapides diſperderent, ac diſſiparent. Cum idem ille Templum, Sacerdos, atque Hoſtia Chriſtus Dominus, ſuper cœnam

Prou 9. Baron. ann. 77. Leo ſer. 10. de Paſſ. *Ioan. 2.* *Ierem. lament. 4.*

operatus hac ipsa corporis sui ruitura in æde, eidem mox restituendæ nouos deligit Sacerdotes, seque ipsum, arcanis planè mysterijs, viuum immolans Patri, ijsdem illos initiat sacris, vt eodem in posterum ritu, ac lege victimam Deo immolent sanctiorem. Atque vt eosdem suo etiam doceret

Isai. 56. exemplo, domum Dei domum orationis esse; cum primùm, proximæ iam mortis afflatu, animus ille cæli risus, & gaudium in tædium sui adductus mortifera mæstitudine premi se intellexit; proci-

1. Reg. 10. dit illicò in terram, effuditque planè in Patris conspectu animam suam, ipso iam futuri horrore facinoris cruentatam. Namque vt atrox illi aperta est scena imminentis ruinæ, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui ministri, omnis denique operis immanissimi designatio & apparatus; contremuit animatum illud Templum ad pœnarum suarum conspectum, quo tremore illud etiam, iam

3. Reg. 7. non æneum, sed aureum gratiarum mare, cor inquam Dei diffisum in rimas purpureum Mundi lauacrum largè profudit in terram. Verùm hæc inter, nouos illos Leuitas, Templique custodes somnus habet altissimus, nec saltem excitati, atque increpiti prorsus euigilant. Siccine vicem rependi-

Matth. 8. tis ingrati? periclitantibus olim vobis in mari, vbi ad hanc aram confugistis, illa in tempore adfuit, serenitatem cælo, tranquillitatem vndis, trepidis securitatem restituit; vos dum hæc eadem hostium

impul-

impulſu labaſcit, dum inſuetis agitur motibus diuina tranquillitas, obdormiſcitis, nec toties excitati opem imploranti affertis. Sed ſomnum, quem amor non potuit, excutiet timor. adeſt enim iam furentium prædonum caterua, impetum, haud dubiè, factura, niſi veſtrum quiſpiam irruentes abſtineat. Exarſit hìc tandem ad creditæ ſibi Domus tutelam Petrus, arreptamque inter inuadentium turbam petulantioris fortè ſatellitis aurem primo ictu abſcidit, iamque felici initio audacior, in alios ſanguine ſtillantem gladium moliebatur; cum mitiſſimi Pontificis voce repreſſus eundem recondere coactus eſt. illo iam tum facto edoctus, non eſſe Dei Templum caſtrorum more propugnandum. Ex vita ſancti Thomæ Cantuar.

Itaque, vbi iam in ſua poteſtate Regiam illam Diuinitatis eſſe intellexerunt hoſtes vaferrimi; ne cui fortè ſacrilegi viderentur, ſi Dei Templo manus impias admouiſſent; omnem prius ab illo ſacri, diuinique ſpeciem amoliri conſtituunt. Hinc coacto ſacrorum iudicum cætu, nùm ille Chriſtus ſit, Deique filius; hoc eſt, ritè ne ædes illa ſacro vnguine delibuta, nùm verè Dei domus ſit, ac ſedes exquiritur. at vbi ex eius ore, ipſo videlicet Templi adyto, diuinum reſponſum intonuit, quo ſe Dei filium, atque oleo exultationis à Patre præ ceteris *Pſal. 44.* inunctum tàm verè, quàm liberè profitebatur; quaſi impiam, atque execrandam vocem auerſatus Caiphas, impius ipſe ac ſacer, ſimulato horrore con-

re contremuit, eumque, non vt sanctam veracis Oraculi sedem, sed quasi prophanum mendacis Idoli delubrum addixit ruinæ. Verùm, vt in speciem saltem innocentius sæuiret, ipsa ædis excisio, quò verè ad extraneos Domus Dei transiret, Pilato extero, ac prophano iudici demandatur. Atque vtinam eiusdem ea libero cessisset arbitrio; stetisset profectò, neque vllius vmquam impulsus sensisset iniuriam. Etenim is, vt aliquid hostium furori permitteret, nudari illùm primò, ac virgis cædi, diripi videlicet Domum illam, ac violari imperat, non tamen excindi penitus sinit. Et adsunt iussa facturi cæmentarij inclementissimi, sacram vestem, omnemque domus ornatum diripiunt; mox aureum illud diuinæ cutis tectorium, quo tota fabrica splendidè tegebatur, certatim decutiunt, nec antè desistunt, quàm ossa ipsa, hoc est structuræ nuda saxa compareant. Ah plagis, parcite crudeles lanij. Aspicite quales lapides, quali olim structura compegerit magnus ille Templi Artifex; videte quàm barbarè suo iam emoti, disiectique sint loco, breui, nisi absistitis, in tumulum redigendi. Sed nimirum parum illis est quidquid iniuriæ superstiti infertur; iamque iteratis vocibus ad necem ipsam Diuinum caput expetitur. Quid agat hìc Pilatus Cæsaris gratiæ amantior multò, quàm iuris? obstinatissimis clamoribus perterrefactus tandem malè lotas dat manus, iubetque vel inuitus Dei

filium

August. in psalm. 63.

Ierem. 01.

3. Reg 6.

Marci 13.

filium in crucem àgi ; vno verbo , maximum Cæli, Terræque miraculum in terram deijci . Hìc verò, vt planè iam ex arte peccetur, à culmine renouatur excidium. Crines illos canaliculatim promissos, & sacri veluti tecti imbrices cælesti semper rore madentes , ac tunc maximè , pluuiæ noctis guttis diffluentes violenter auellunt ; verticem ipsum cælo proximum , ac Templi faciem coronis olim aureis ornari assuetam coronis spineis dehonestant, eandem palmarum vbique ramis eleganter insculptam, palmis ipsi sacrilegis cædunt ; iam denique cruces, iam clauos expediunt ; nimirum, vt moles tota vno tandem impetu corruat ; validiores admouentur machinæ, mallei, vectes, & cunei . At Domus hæc , ne tunc quidem cum ædificaretur , mallei, aut ferramenti cuiuspiam ictum sensit; hæc dum medium silentium tenerent omnia , quasi pluuia cælo demissa , tacito lapsu , molli consedit in vellere: quid illam nunc robustissimi malleatores , ferreis cuneis penitissimè infixis , adeo fragosè diffinditis ? amouete crudeles machinas . cernitis , vt resoluta iam compage membrorum vndequaque dehiscat ? Quod si parum id vobis est, neque eam , etsi ruinosam stare permittitis, inclinato vertice, etiam procumbit in lapsum . Iam Templi velum , hoc est , ipsa Christi humanitas, qua Diuinitas tegebatur , animæ corporisque diuortio, in partes discinditur : iam tota penitus moles affligitur , & qui-

Cant. 5.

1 *Mach.* 4.

Ezech. 40.

3. *Reg.* 6.

Sap. 18.

Psal. 71.

Instar Dianæ templi. Plin. lib. 36. cap. 14.

& quidem fragore tanto, vt morte etiam consopitos euigilare compulerit. Sensit immanem ruinam Tellus, tremuitque nutantium collisione saxorum, montiumque repentino dissidio; sensit, vel ab ipsis ruinæ primordijs, subitis inuolutum tenebris Cælum, & nox omni nocte nigrior, in ipso
1.Mach.4. meridie puluerea caligine condensata. Quid hic ageres Machabæorum Dux fortissime, quid ageres? vbi, non sacrarium modò desertum, altaria prophanata, portas exustas, in ipsis ruderibus virgulta, spinasque iam natas, sed nullam iam tanti
Isai. 53. ædificij speciem, decorem nullum extare conspiceres? Profectò, quando nulla iam tibi reparandæ Domus relicta spes foret, quod vnum reliquum esset, stare te iam puderet prostrato Deo, procidensque proinde in terram, sacræ ruinæ puluerem capiti imponeres, perpetuo saltem luctu tantum deploraturus excidium? At nos, ò Templi huius Molitor, atque Architector magne, quid agemus? Nam, quò nos tandem Leuitæ tui euersis aris, pro-
1.Mach.3. culcatis sacris, exciso Templo recipiemus? Viden, vt Sacerdos tuus, & Nazaræi tui planè facti sunt in luctum? quò illos ducemus? quò, inquam? at vbi melius cuiquam sit, quàm inter hæc ipsa, quamuis puluerata, saxa? hìc hìc, sacris hisce ruderibus aduoluti, tanti excidij miserandas reliquias
Psal. 117. ligna, clauos, ac lapides ab impijs euersoribus reprobatos tamdiu complectemur, atque exosculabimur,